



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.60. Desiderius Christophoro & Sergio perniciem affert.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.
A. C. 769. *vestrum nomine filiorum promississe, constantem futuram esse fidem vestram in Sanctam Ecclesiam, in Pontifices vero obedientiam & amicitiam fore perpetuam, vosque eadem promissa in Epistolis vestris confirmasse.* Eos deinde obtestatur in nomine S. Petri, per Dei Judicium, & quidquid sacrum sanctumque, ne hæc conjugia ineant, sed Longobardos repellant, cogantque jura S. Petri læsa integre restituere, sub Anathematis & æternæ damnationis pœna. Ut has exhortationes magis solemnes redderet, Papa missurus Epistolam, eandem prius, dum S. Sacrificium celebrat, in Confessione S. Petri deposuit, atque in hoc sancto loco deferendam tradidit.

Mon. S.
Gall. lib. II.
c. 26.

Nihilominus Rex Carolus Desiderii Regis Longobardorum filiam duxit, quam vero post unius anni spatium ex Sanctissimorum Episcoporum consilio, cum morbi eam continuo affixam lecto tenerent, essetque procreandæ proli impar, repudiavit. Posteriore tempore duxit Carolus Hildegardem primis stirpibus Suevorum natam, ex qua plures suscepit liberos.

§. LX.

Desiderius Christophoro & Sergio perniciem affert.

Anast. Cum Christophorus filiusque ejus *Sergius*

gius sapissime apud Papam instarent, ut Regem Longobardorum ad cuncta restituenda compelleret, interitum sibi accellerarunt; quippe Rex opera Pauli Afiarta, Pontifici a cubiculis, quem donis corruerat, & patrem & filium Papæ suspectos reddidit. Ipse Rex Desiderius Romam venit, scilicet, ad Basilicam S. Petri extra Urbem positam, specie communicandi cum Papa consilia. Tunc vero Christophorus & Sergius ubique proditi, cum noctu fugam capefferent, a Longobardorum Excubitoribus retracti Regi suo sistuntur. Tunc quidem edixit Papa; nihil melius occurrere, quam ut Monachorum institutum amplecterentur, eosque in Ecclesia S. Petri reliquit, nam beneficio noctis usurus in urbem admittere ipsos cogitabat, ut inimicorum crudelitati eriperet. Sed Paulus Afiarta sequente plebis Romanæ turba communicato cum Desiderio Rege consilio Christophorum & Sergium ex Ecclesia S. Petri abripiunt, & ad portam Civitatis deductis oculos effodiunt. Et dolori Christophorus ultra triduum non supervixit, sed in Monasterio S. Agathæ, quo detrusus fuerat, animam efflavit. Filius ipsius Sergius, in cellario Palatii Lateranensis inclusus usque ad mortem Papæ ibi esse cogitur, nam cum Paulus Afiarta Papam cum morte colluctari vidit, Ser-

Sæcul. VIII.
A. C. 769.

Anast. in
Hadrian.

Hist. Eccles. Tom. X.

A a gium

Sæcul. VIII. *gium e carcere eductum clam interfici*
 A. C. 772. *jussit.*

Hic iterum patet, Romanos nescivisse Dominum, & Pontificis imperata non fecisse.

*v. Mabill.
 comm. in
 Ord. R. n. 4.*

Stephanus Papa Traditionum Ecclesiasticarum amantissimus, antiquas consuetudines Clericis honorificas reduxit. Statuit, ut singulis Dominicis septem Episcopi Cardinales hebdomadarii, qui in Ecclesia Salvatoris ministrabant, Missam super Altare S. Petri celebrarent. Hi nempe erant Episcopi Papæ Suffraganei, Episcopus Ostiensis, Portuensis, Silvæ candidæ, Sabinensis, Prænestinus, Tusculanus, & Albanensis. Hi soli vice sua in Ecclesia Lateranensi Missas celebrabant. Stephanus Papa una Ordinatione mense Decembri Presbyteros quinque, Diaconos quatuor, & aliquot per diversa loca Episcopos creavit. Obiit prima Febr. anno 772. postquam S. Sedem tenuisset annos tres & sex menses.

Sepultus est ad S. Petrum, & Sedes non plus octo diebus vacavit.

